Disputatio inauguralis medica de tumoribus artuum fungosis ... / [Christianus Ludovicus Wucherer].

Contributors

Wucherer, Christianus Ludovicus, 1686-
Slevogt, Johann Adrian, 1653-1726.
Universität Jena.

Publication/Creation

Jenae : Litteris Mullerianis, [1715]

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/pzucqpxp

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

Q. D. B. V.

DISPVTATIO INAVGVRALIS MEDICA

DE

TVMORIBVS ARTVVM FVNGOSIS

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO

SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

DOMINO

VVILHELMO HENRICO

DVCE SAXONIAE IVLIACI CLIVIAE MONTIVM ANGARIAE VVESTPHALIAE ET RELIQVA

SVB PRAESIDIO

IO. HADRIANI SLEVOGTII

HEREDITARII in Ober-Roßla/

M. D. ANAT. CHIR. ET BOT. P. P. ITEMQ. MEDICI DVC. PROV.

PRO LICENTIA

SVMMOS IN ARTE MEDICA HONORES PRIVILEGIA ATQVE INSIGNIA DOCTORALIA MORE MAIORVM RITE CONSEQVENDI

PVBLICO ET SOLENNI PHILIATRORVM EXAMINI SVBIECTA

A

CHRISTIAN. LVDOVICO WVCHERER

MEINVNGENSI

D. AVGVSTI MDCCXV

IN AVDITORIO MEDICO

HORIS ANTE ET POMERIDIANIS CONSVETIS.

IENAE,

LITTERIS MVLLERIANIS.

Q. D. B. V.

§ I.

Um non pauci Chirurgiæ ſcriptores, priusquam anteceſſorum, veræ ἀκριβείας in docendo laudem promeritorum, dogmata cum juſta attentione inſpexerunt, animum ad ſcribendum appulerint, multi etiam, a veterum lectione alieni, ſolaque ſuorum magiſtrorum informatione, & empirica curandi methodo contenti, obſervationes ſuas practicas cum aliis communicare laboraverint, vix aliter evenire potuit, quam ut circa nomina morborum, quorum naturam a majoribus deſcriptam neſciverunt, externamque eorum faciem & curandi modum nunquam oculis hauſerunt, hæſitantes, illis vel novas plane appellationes impoſuerint, vel a ſibi notis ſpeciebus, cum quibus ignotas in quodam tertio convenire animadverterunt, mutuatas, improvide tribuerint.

§ 2. Simile fatum *articulorum fungi*, quorum aliqualem deſcriptionem, cum curatione, juvante DEo, *ſpe-*

ciminis inauguralis loco edituri ſumus, paſſi ſunt: ut, quæ ad naturam atque medicationem hujus, haud omnino infrequentis mali pertinent, fere ubivis quidem a Chirurgis explicata extent, ipſum nomen autem rarius legatur, & vix alius quiſpiam, oculis manibusque contrectandus affectus ſæpius ſub peregrino titulo occurrat, ideoque, præeunte nobis Sennerto, monitum Tagaultii, ex Inſtit. Chir. lib. 2, bene huc trahamus: *Res ipſa eſt attendenda, nominibus vero parum fidendum, cum eadem vox ſæpe apud varios autores variam ac longe diſſidentem habeat ſignificationem.*

§ 3. Ut veritas dictorum, & illaudabilis Chirurgorum conſvetudo, vocabulis, tanquam teſſeris ludendi, plenius innoteſcat, ex multis aliis magnitudinis p. n. auctæ ſpeciebus, *ſimplices* tantum aliquot, eosque carnoſos atque glanduloſos tumores, quos *nattas*, *ganglia*, *talpas*, *ſtrumas*, *fungos* vocant, inter ſe invicem, & cum tunicatis quibusdam, *ſteatomate* ſcil. & *atheromate* confuſos, in medium adducemus, ut per exempla pateat, libertatem, nominibus abutendi, minime per claras, & a plurimis receptas definitiones coërceri potuiſſe. Quamvis enim *natta*, *nata* & *napta*, a Theodorico, celebri Cervienſium Epiſcopo & Chirurgo, *apoſtema magnum, carnoſum & molle, utplurimum ſicut fungus, cum quo non eſt dolor, neque calor, neque pulſatio*, appelletur, & a Guidone Cauliaco, magni nominis Chirurgo, per *excreſcentiam carnoſam, veluti caro natium, diverſæ figuræ & magnitudinis, ſine dolore, niſi quem mole ſua trahendo excitauerit*, itidemque ab Ambr. Paræo, fama, & bona de ſuis meritis opinione nemini poſtponendo, per *tumorem carnoſum, a natibus, quod earum figuram refe-*

rat,

rat, ſæpiusque in illis, quam alibi, hæreat, nomen obtinentem, definiatur: a Foreſto tamen, inſigni Delphenſium & Alcmarenſium Medico, ad *ſteatomatum* familiam, in quibus nihil carnis, ſed ſevo ſimilis tantum ſubſtantia, folliculo mobili & ſeparabili incluſa, ſub cute latet, ſcriptam legimus.

§ 4. Amatus Luſitanus, haud abſimili libertate, a datis morbi hujus deſcriptionibus recedens, Cent. 3, Cur. 100, tumori, in fronte Monachi diu hærenti, & in *folliculo aquoſam viridem* ſaniem continenti, *nattæ* nomen imponit, immemor, ſe Cent. 1, Cur. 76, ſimilem tumorem capitis tunicatum, nilque niſi ſaniem effundentem, *talpam* & ſpeciem *atheromatis*, itidem non ſine magno terminorum abuſu, appellaſſe: cum talpa ex glandulis, atheroma autem ex pulte, cyſti comprehenſa, componatur. Neque Marcellus Donatus, vir doctiſſimus, magis conſtanter de hoc affectu loquitur. Poſtquam enim Hiſt. med. mirab. lib. 5, c. 3, p. 539, Benivenium culpaverat, eumque *perperam* cap. 13, de abd. morb. cauſ. molem carneam, 60 libras pendentem, & a coxa mulieris per vinculum & candens ferrum reſciſſam, *ſtrumam* appellaſſe dixerat, cum ſtruma longe diverſum tumoris genus (glanduloſum ſcil.) in proprio folliculo ſeu membrana contentum, ſit, *natæ* autem, a Nicolao, Argillata, Bruno, Bertapalia, Tagaultio, aliisque, a nobis dudum citatis autoribus, *carneæ naturæ* ſtatuatur: mox tamen pag. ſeq. 540, natas ad eos tumores reducendas eſſe ſcribit, qui, apud Galenum, lib. de tum. præt. nat. inter duas tunicas, & ſub certis membranis, vel humidam ſubſtantiam, velut olei amurcam, vini fecem, urinam, ſtercus, balnei ſorditiem, mel, pultem & ſevum

præ ſe ferentem, vel ſolida corpora, vngues, pilos, lapides, oſſa, tophum, arenas, ligna, carbones, teſtas, grumos, ſulphuris ramenta &c. continent.

§ 5. Verum quis non videt, ſi tantæ amplitudinis ſignificatio vocabulo nattæ concederetur, tunc non ſolum Henricum Moenichen facile excuſari, qui Bartholinianarum epiſt. 97, Cent. 2, tumorem, per 30 annos in Cæmentarii fronte geſtatum, & in folliculo *veram pinguedinem cum embryonis ſceleto* foventem, *nattam* ſalutavit; ſed per intolerabilem quoque confuſionem terminorum, omnis generis vitioſas protuberantias, ad eam, tanquam genus referendas, nec per incantamenta quidem & magicas artes productas, (quales procul dubio ultimo loco nominatæ habendæ ſunt) excipiendas eſſe.

§ 6. Minus accurate quoque *ſteatoma*, ſi in dorſo hæſerit, *natta*, ſecundum recentiſſimum aliquem ſcriptorem, dicitur: cum non locus, ſed materia huic affectui nomen atque genus tribuat. Nec contra ea rectius Paræus tumorem octo librarum, ex cervice viri genitum, ſuaque ſubſtantia omnino ad nattas referendum, *lupiam* vocat, quo nomine Verduc p. 44, Operat. chir. omnes tumores tunicatos fruſtra comprehendit: cum conſtet, alibi ipſum Paræum, poſt Aetium, Guidonem, Tagaultium, aliosque, per *lupæ* & *lupiæ* vocem Avicennæ *glandulam* & Græcorum γάγγλιον, adeoque diverſum quid a natta & cyſticis tumoribus indicaſſe.

§ 7. Poſſent talismodi terminorum confuſiones clarius exponi, ſi, qua circa varias, partimque præpoſteras vocis nattæ acceptiones, prolixitate uſi ſumus, etiam ἀμφιβόλας Chirurgorum de *lupiis*, & inprimis de *fungis*, iisque

aſſi-

affinibus *ganglii*, sententias excutere, institutum nostrum pateretur: a quo ad ἔργον properare jussi, in transitu saltim notabimus, per illam Autoris definitionum medicarum νευρὸν παρὰ φύσιν συστροφὴν σωματοποιούμενην, & *nervi*, secundum Forestum, *præt. nat. coactionem & concretionem*, recte quidem *ganglion*, quale sæpe numero in carpo & dorso manus visitur, intelligi, distinctius autem eius naturam a Münnickio, Prax. chir. lib. 1, c. 10, p. 46, & a Dolæo, Encyclop. chir. cap. 11, p. 123, ita describi: quod sit *tumor renitens, folliculo inclusus, &, nisi violenter comprimatur, indolens, circum articulos manuum & pedum utplurimum, in partibus nervosis atque tendinosis, a tubulorum contusione & induratione oriens, motumque subinde partium impediens.*

§ 8. Ex quibus liquet, non promiscue, cum quodam πολυγράφῳ autore, nodos & tubercula in artubus suborta, unicoque linimento resoluta, ad ganglia referenda esse. Nec nisi in latiore significatione a D. Roeslero & D. Winclero, in Eph. Germ. Dec. 1, Ann. 3, obs. 326, duritiem aliquam, a talo pedis, per multos annos tumidi, in domestica cruris regione, fere ad femur usque, secundum longitudinem nervorum & tendinum excurrentem, inferiusque *veluti* parvis nodis distinctam, ganglion salutari: cum lymphaticum potius vas, a non admodum tenaci materia obstructum, ibi peccasse, facilis curatio, a fotu ex absinth. artemis. salv. gran. junip. in lixivio coctis, impetrata, credere jubeat.

§ 9. Haud satis proprie etiam & significanter ganglion a Germanis **Uberbein** vocatur; quia non os super os, sed tumor potius supra os, cute tantum tectum est, ut

Sen-

Sennert. Prax. lib. 5, part. 1, c. 34, p. 150, loquitur. nec proinde cum Lemery, in Medico ossium, c. 7, p. 37, ad horum morbos, quartam eorum classem constituturum, referri debet. Longe enim ab illo tumore distat, quem Hœferus, in Herc. med. p. 273, sub nomine Beinwax & Uberbein/ *ossium excrescentiam & extuberantiam, aliquando solidam, aliquando spongiosam esse, nec nisi callorum curationes admittere* scribit; sine dubio Platerum secutus, qui Prax. Tom. 3, c. 3, p. 209, *nodum in ossibus* Uberbein vocat, quod firmiter ossi subjecto insidens, inde moveri nequeat, quasi *novum os priori accrevisset*, & quidem, quod Sennertus de suo addit, *periostio abraso vel exeso.*

§ 10. Per hoc enim eximium Autorem non nisi ἐξόστωσιν quandam indigitasse, ex eo colligimus, quod l. c. p. 208, de ipso γαγγλίῳ loquens, a passim Chirurgis probata, & a nobis § 7 proposita descriptione parum vel nihil recedens, ita mentem suam explicet: *Est tumor, qui sensim partibus accrescens, & nunc circumscriptus, nunc inæqualis, alias angustiore termino, alias latiore, universum interdum articulum comprehendens, non adeo durus, sed tamen renitens est, nec plane sine sensu, sed qui fortiter pressus molestiam aliquam parit; nec adeo fixus, quin aliquo usque pelli possit; motum articuli liberum impediens & nonnunquam adeo sistens, ut membrum omnino vel aliquo usque adstrictum, munus suum illic, vel plane non, vel non integre possit perficere.*

§ 11. Adduximus data opera integrum prolixumq; textum, ut doctissimum Sennertum l. c. *ganglii* vocabulo abuti, eique nimis angustum sensum concedere voluisse constet, quando per id non nisi rotundum aliquem tumorem in-

intelligendum esse, ex Paræo probare nititur, Platerumque illum tantum affectum, quam Germani Gliedschwamm vocant, descripsisse putat. Quis enim dubitat, nullibi in gangliis certam perpetuamque figuram atque magnitudinem spectari, cum autopsia reluctantem facile obtorto collo in suas partes trahere possit.

§ 12. Cum autem omnino introductæ terminorum multiplicationi gratificandum sit; ideo nobis quoque nemo vitio vertet, quod de specie hujus morbi, potissimum majores cubitorum atque genuum articulationes occupante, διάσκεψιν instituturi, præeunte celeberrimo Ettmullero, Tom. 2, p. 31, relicto græco & ambiguo γαγγλίῳ, aliud ipsi nomen, *Fungi* scilicet, ceu germanicæ appellationi, Gliedschwamm/magis affine, & a nostratibus facilius intelligendum, substituamus; addita simul a subjecto petita restrictione; qua prolixiorem quidem thematis explicationem circumcidimus, ab aliquali tamen πολυσήμου nominis *Fungi* evolutione, nos nondum immunes esse fatemur; nisi, quem in aliis hactenus culpavimus, nominum abusui ipsi occasionem præbere voluerimus.

§ 13. De *Fungis* igitur articulorum, quos nostrates Chirurgi Gliedschwämme/ alii Katzenköpffe/ sec. Langium, appellant, cum locuturi simus, nihil ad nos ex terra, ejusque fracido Leffas, secundum Helmontii Tr. imag. ferm. § 32, p. 112, oriundi pertinent; necque cum Lexico Brunonis, nimis angustis limitibus vocem hanc includimus, qvasi non nisi *excrescentiam quandam in partibus ulceratis, ex humore corrupto natam*, significet, cum tales immane quantum a nostris distare, in seqq. ostensuri simus.

§ 14. Ut uno intuitu natura nostræ consideratione *Fungi* cognoscatur, ex duabus definitionibus ganglii, in § 7 & 10 propositis, mutandis mutatis, tertiam consarcinabimus talem: *Est tumor p.n. in articulis, genuum inprimis atque cubitorum hærens, qui mollis quidem aliquandiu deprehenditur, prementique manui quodammodo cedit, sed nec foveam relinquit, nec colorem cutis caloremque notabiliter mutat, & ab humore seroso stagnanteque ortus, in substantia spongiosa sensim incrementum, sine notabili dolore, capit, donec tandem ad majorem amplitudinem assurgat, solidiorque factus, motum articuli tollat, & vicinarum partium nutritionem impediat.*

§ 15. Cum de genere nulla lis moveri queat, facile Avicennæ concedemus, quod is de omnibus tumoribus pronunciare consvevit: hic nimirum nonsolum, a mutata loci affecti quantitate & figura, *conformationis* morbum generari, sed a stasi quoque & confluxu humorum *temperiem* continentis partis alterari, ejusque *unitatem solvi*, ubi fibræ membranarum ultra modum extenduntur, donec disrumpantur.

§ 16. Ratione subjecti fungorum generalis, sunt equidem omnes homines eatenus huic malo apti, quatenus externis ejus causis, lapsibusque scil. aliisque gravioribus articulorum contusionibus subjiciuntur: quodsi vero illi ab interno magis principio originem nanciscuntur, tunc in succulentis magis puerorum atque fœminarum corporibus, nec non aliis, haud bene cocto fluidoque sero abundantibus, adeoque modo ad phlegmaticorum familiam referendis, modo prorsus ad cacochymicorum classem pertinentibus, frequentius deprehenduntur. Calore

enim

enim tales vitali haud sufficienter instruuntur, ideoque ex imperfecta chyli atque sangvinis coctione, serosis crudita-tibus scatent, tonumque organorum imbecillem obtinent, qui retinendis magis humoribus, in poris & vasis indecenter subsistentibus, quam tempestive propellendis aptior existit.

§ 17. In subjecto specialiori, sive *ut quo*, definiendo concordant fere autores, ut, si Platerum legeris, etiam Sennertum, Munnikium, Dolæum, Verduc, Junkenium, aliosque legisse videaris. Postquam enim iste, l. c. regiones excarnes, & ossa cute tantum tecta, itemque ubi tendinum, ligamentorum ac nervorum, cum in articulis, tum extra eos, est concursus, ganglio destinans, præ reliquis genua & cubitos nominavit, neminem contradicere, sed plerosque potius carpos etiam & talos allegare, inque eo occupari observamus, ut ostendant, articulos & inprimis majores illos, genua & cubitos, ob magnum motum, quo exercentur, cutemque ibidem laxiorem, ad extensionem & suscipiendum hunc morbum aptiores esse.

§. 18. Solus Münnick frequentius manuum junctu-ras atque talos, rarius autem cubitum affici persuasus est: sed non maiorem assensum invenit, quam ubi in antecedentibus plerasque corporis partes fungis subjici asseruit. Quamvis enim alios quoque melioris notæ viros ita loquentes offendamus, illos tamen non tales fungos, qui ejusdem cum nostris speciei sunt, sed *tubera* potius, ex ulceribus aliisque locis, extra articulos, crescentia intelligere, ex Ettmulleri Tom. 2, part. 2, p. 32, patet, ubi ita loquitur: *Rarissimum est, quod fungus, præter articulos, etiam alia loca infestare soleat, semper tamen membranis aut*

tendinibus, similibusque partibus adhærere & affigi observatur, unde etiam membranæ cerebri, post vulnerationem capitis læsæ, ubi non bene præservantur ab aëre ambiente, in tales fungos, qui tamen proprietates quasdam adhuc speciales habent, erumpere solent. Hactenus Ettmullerus, qui insuper dicta per Historias aliquot, notatu dignissimas, ex Sennerti Lib. 5, Prax. Part. 1, c. 39, Hildani Cent. 2, Obs. 19, C. 3, Obs. 1, Cent. 5, Obs. 62, & M. A. N. C. Ann. 7, Obs. 63, excerptas, confirmat.

§ 19. Hisce ex Cent. 1, obs. 34, Borelli fere 300 nigri fungi, totum corpus pueri post variolas occupantes, & iterum centum alii, hic illic emergentes, & passim a Practicis, ipsoque D. Præside notati, jungi possent, si res nostra prolixitatem postularet, nec potius sedulo ad abusum terminorum, in superioribus per tot exempla indicatum, animus advertendus esset, ne cum Aetio, Foresto, Timæo & reliquis, tumores in capite, fronte, genitalibus &c. ganglia aut fungos vocemus, quibus nattæ, lupiæ, atheromatis, aliusque tunicati potius vitii nomen competit.

§ 20. Ne vero, quod facile fit, in diagnosi lapsus accidat, breviter dicemus, quomodo fungi articulorum ab aliis tumoribus distingvantur. Præter subjectum enim speciale, Chirurgi oculis extuberatio aliqua, eaque, si nova fuerit, exigua, post lapsum temporis autem sensim major obversatur, quæ circa *colorem cutis membrique calorem* nihil quidem mutat, superficiem tamen eius subinde in monticulos elevat, & figuram minus regularem reddit. Manus autem affectum locum apprehendens, mox sub cute massam offendit mobilem, ut paululum huc illuc trudi possit,

quæ

quæ blande preſſa cedit, ſed, inſtar ſpongiæ aut meli ceridis, celerrime reſilit, nullumque, vel exiguum ſaltem dolorem infert, motum autem articuli tandem plane tollit, cum ultra modum aucta & ſolidior evadit.

§ 21. Petivimus ex *ſubjecto* initium diagnoſeos, quia nattæ, ſuperius fuſe explicatæ, & alii tumores non æque ad articulos ſe alligari patiuntur, & ex. gr. talpa & teſtudo cranium, ſcrophulæ collum, aliique tumores alia loca magis amant. Deinde, præter reliqua allata ſigna, tempus augmentum capiendi hos articulorum morbos a cæteris, itidem fungorum nomine fruentibus, ſecernit. Habent enim *hi* interdum cum terræ tuberibus communem creſcendi ſortem, ut celerrime, per modum ὑπερσαρκώσιος, ad ſpectabilem molem aſſurgentes, ſat negotii cultro Chirurgi creent, noctuque aliquando cumulatim nova eorum ſubſtantia, in heri reſectæ locum, renaſcatur. Quod, præter alios, Sennertus apud Hildanum, Cent. 2, obſ. 35, p. 110, memorabili triſtiq; exemplo illuſtravit. Cum, contra ea, *illi* lente utplurimum feſtinent, & poſt menſes demum, aut aliquot ſuperatos annos, quantitatem, ægro negotium faceſſentem, adipiſcantur. Retinet etiam tunc articulus ſuum colorem priſtinum; niſi quod cutis tandem cum lævitate quodammodo niteſcat, quando ea per tumorem, ad ampliorem ambitum provectum, nimium extenſa fuerit: cum duræ matris & aliorum ulcerum ὑπερσάρκων, fungi vel pallide rubeant, vel livido pulloque colore tincti viſantur. Non autem eſt, quod obiter notamus, cur Purmannus, pag. 614, Chir. curioſæ, talem nitorem fungis deneget, oedematique potius concedat; cum hic & ibi idem

expansionis effectus toties a nobis observatus sit, cutisque constructio ad eundem sit disposita.

§ 22. Nec fungi reliqui ita mobiles sunt, sicut nostri, sed radices firmiter subjecto infigunt, ut aliquando, referente Chmielecio, apud Hildanum, Cent. 2, obs. 36, p. 114, ex tibia, ad medullam usque perforata, pullulaverint. Haud alia, ipsos comitantia incommoda, acres scil. dolores, & partium corruptionem, ut amputari debeant, mortemque tandem inferentia, jam tangemus; quæ a nostris non æque metuenda sunt, nisi ineptissime tractentur.

§ 23. Per colorem porro ab admodum rubente *inflammatione* atque *erysipelate* distingvuntur; quia in his etiam calor auctus est, tumorisq; superficies æquabilis occurrit, & ex levi pressione dolor excitatur: cum articulus fungosus citius algeat, quam caleat, inæqualiterque protuberans contrectationem, nisi durior fuerit, sine notabili molestia toleret: ut proinde Chirurgi ex sensu tristi exquisitiori maligni quid ibi latitare suspicentur.

§ 24. Accidit haud raro, ut in cachecticis articuli, inprimis inferiores, a copia phlegmatis, poros mollium partium occupantis, intumescant. Vocatur ejusmodi tumor *oedema*; quod tamen cum immobile sit, & foveas, a digito impressas, aliquandiu retineat, etiam sine consideratione reliqui corporis habitus, causarumque utriusque affectus diversarum, a Purmanno μετὰ σπουδῆς expensarum, a fungo nullo labore dignoscitur. Hic enim ut corpora, cæteroquin sanissima, data extrinsecus occasione, invadere potest, ita, si premitur, resilit actutum, ut meliceridi & emphysemati similior esset, nisi ibi melliformis, hic fla-

flatulenta materia, intus contenta, obstaret, & sicut substantia illa, pultem in atheromate, & sevum in steatomate referens, difficilioremque compressionem, & tardiorem reditum ad priorem altitudinem producens, differentiam a fungis constitueret. *Scirrhos* autem, qualem Forestus, lib. 3, obs. chir. 1, sub poplite, ingressum impedientem, post ulcerum malignorum in tibia curationem relictum, vidit, & *osseos fungos*, de quibus Hildanus, loco nuperrime citato loquitur, aliasque ἐξοχωσίων species huc plane non pertinere, in aprico est.

§ 25. Nec tandem ex luxatione assurgentem tumorem quispiam cum fungo temere confundet, qui ad articuli figuram, subito a causa violenta, cum dolore & motus impotentia mutatam, respexerit. Quamvis enim a fungis etiam usum partis sufflaminari, repetita vice asseruerimus, cum mora tamen & a grandioribus saltim id fieri addidimus.

§ 26. Nascitur ex allatis occasio dubitandi, num carnearum ἀποφυσίων nomen, quo Cous, cap. 8, p. 173, de septim. part. citiorem masculini fœtus formationem, cum fœminino tardiori comparans, utitur, a celeberrimo Valentini commode *fungis artuum*, inter quos die Gliedschwämme/ eminere scribit, tributum sit: quia, sec. Foesium, Oecon. p. 55, Hippocrati istæ ἀποφύσεις processus quosdam carnis, ex imperfecto corpore puellæ prominentes, & ab exacta membrorum distinctione, in masculis, post primos 40 dies conspicua, differentes, significant, ideoque nihil cum nostris fungis, si ab externa figura recesserimus, commune habent.

§ 27.

§ 27. Cum, in § 21, *strumas* collum præ aliis partibus amare dixerimus, minus capimus, quid Langius epist. 43, tom. 1, per strumam ingentis ponderis, circa genu aurifabri subortam, indicare voluerit: quia de interiori eius constructione nihil addidit. Talem enim massam, tali in loco repertam, forsan alii ad nattas, imo plane ad nostros fungos traxissent, nisi forsan substantia glandulosa, strumis potissimum competens, eam inde secrevisset. Neque Agricolam, Chir. parv. p. 703, tumorem magnum in crure fœminæ, extensionem ejus impedientem, accurate Uberbein vocasse putamus, eumque *fungum* potius in genu fuisse, ex illata extensionis impotentia concludimus.

§ 28. Quamvis enim in superioribus fungos a gangliorum, vulgo ita dictorum, familia non procul removerimus; intercedunt tamen ex *quantitate*, *figura*, *mollitie*, *situ*, *motu*, ipsaque *materiali* utriusque vitii *causa* & *curatione* fluentes rationes, quæ notabilem discrepantiam constituunt. Vix unquam enim, quoad *magnitudinem*, ganglia fungorum molem assecuta, eaque totum articulum amplexa esse legimus. A Paræo enim inter exiguos tumores, ex lupiarum classe referuntur, ipsisque *figura rotunda*, a Dolæo autem, Encyclopæd. chir. p. 123, rectius *olivaris*, cum *duritie*, fungos superante, tribuitur, cum *hi*, nullam determinatam circumscriptionem obtinentes, diu *molles* maneant, *situmque* semper in articulis habeant, ganglia autem magis extra eos, ex tendinibus, ligamentis & periostio germinent. Hinc quæ Munnick, Pr. chir. p. 49, de tumore molli, rotundo, & ferme figuram lupini exhibente, affert, eum in articulis manuum pedumque *ganglion*, circa aliarum partium juncturas autem *lu-*

piam

ſcopo ante quatuor fere ſecula Guido de Cauliaco apozema, ex rad. ſcrophular. filipend. pimpin. piloſell. tanacet. betæ, ariſtol. ſpatul. foet. & raphani cum vino & melle coctum, calide bibendum paravit: cui hodie nonnulla ex antea memoratis ſalinis, aut alia, mole ſua minore & ſapore ægroto magis grata ſurrogantur.

§ 43. Cum Chriſt. Io. Langius Op. part. 2, p. 195, in hoc affectu plurimum ☿bus, in- & externe uſurpatis, tribuat, & Amatus tumorem ſanioſum utramque cranii tabulam exedentem, in § 4 a nobis allegatum, ſalivationis ope perſanaverit, inſignisque in fundendo ſero vis ☿ii neminem facile lateat: ideo non ſine ratione quis noſtris quoque fungis inde auxilium petierit; quamvis Purmannum parum ipſi tribuiſſe, & præterea Chirurgum Magdeburgenſem, quod eam ruſticæ fungoſæ adhibuerit, increpuiſſe, p. 622, Chir. cur. legamus. Ubi tamen in medio relinquitur, annon ibi ☿ fungi materiam ita eliquaverit, ut poſtmodum tam promte ex vulnere proſilire potuerit. His plura in præſentia non addimus, præter unam Zvvelfferi eſſentiam ♂ aperit. in p. 58, App. animadv. in Ph. Aug. deſcriptam, externeque pariter ac interne uſurpandam: cum autor ea ſola, linteolis duplicatis excepta, duriſſimum ganglion in carpo diſſolviſſe ſcribat.

§ 44. Cum autem, quoad externa auxilia Galenus ab omnibus talismodi affectibus, vel *digeſtionem*, vel *putrefactionem*, vel *exciſionem* indicari, pronunciet, &, ſec. explicationem Hieron. Fabricii, per priorem inſenſibilis diſcuſſio materiæ, per alteram autem non ejusdem in pus mutatio, ſed eliquatio potius, & viſcidæ ſubſtantiæ in fluidam reſolutio intelligatur, utraque etiam in fungis artuum

locum reperire, istaque per interna, hæc vero per externa expediri potest, tertia autem vix admitti solet, nisi in *aquosis tumoribus* laudatam a Würzio & Purmanno *incisionem* adhibere voluerimus.

§ 45. Quodsi vero, sec. Helmontii promissum, § 56, de Formar. ortu, p. 137, verrucæ, melicerides, nattæ, similesque excrescentiæ, a lunæ lumine, per vitrum in conum collecto, donec frigus in illis perceptum fuerit, irradiatæ, sponte evanescerent, aut eadem facilitate, qua, Solenandro teste, Cons. med. p. 492, mulier a natta supra carpum, vix ullis remediis sanabili, per lotionem cum aqua frigida, in conjunctionis solis & lunæ puncto, in vase, aqua vel lixivio pleno, spectabili, institutam, post 24 dierum liberata fuit, removerentur, tunc forsan nostri quoque fungi citam, tutam & jucundam sanationem inde sperare possent. Sed cum jamdiu inter effectus admodum rebelles relati sint, & inveterati, ex confessione omnium cordatorum Chirurgorum, rarissime perfecte tollantur, paululumque durius tractati, in cancros incurabiles abeant, & proinde Langius, l. c. nisi per ꝯlia, in- & externe adhibita, cedere velint, manum de tabula retrahendam esse scribat, ideo, præter *interna* remedia adducta, de externis etiam, ex pharmacia pariter ac officina chirurgica petendis, nos sollicitos esse oportet.

§ 46. In recentibus, nec dimidium annum supergressis, laudat Purmannus, Laur. chir. part. 3, c. 4, & ex eo Iunkenius, Chir. comp. p. 444, mutato saltem pondere & omissa salvia, sequens epithema, ex muriæ halec. ℔j, acet. vini fort. ℔ß, ☉ Rom. ℥ß, ☾ crud. ʒij, bol. armen. ℥j, paran-

randum, & aliquoties quotidie calide imponendum: quod tamen nonnulli mox poſt lapſum aut contuſionem, ante lymphæ extravaſationem, ſecurius, quam poſt dies aut menſes aliquot elapſos judicant: quia tunc admiſta adſtringentia & poros claudentia ſtaſim ſeri promotura magis, quam inhibitura eſſe, metuunt, idq; propter, ſi omnino ſimpliciſſimis utendum fuerit, ex Agricolæ, chir. parvæ p. 703, nil niſi folia maioris ſedi quotidie imponere, & fortiter per faſciam apprimere malunt; cum eadem etiam, ſed pellicula exteriori prius ſpoliata, Ettmullerus commendaverit.

§ 47. Qui compoſitis medicamentis plus virium tribuunt, ex Platero prolixam fotus formulam probabunt, ex rad. alth. lilior. bryon. iridis, ana ℥ij, herb. malv. braſſic. ā mij, hyoſcyam. mj, chamæpit. ſalv. abſinth. ā m℔, flor. chamomill. melilot. cheir. ſambuci ā pj, ſem. lini, fœnigr. ā ℥j, baccar. laur. ℥℔, in vino, vel aqua, vel lixivio coctis, concinnatam. Dolæus, Purmann, Iunken, Verduc, omiſſis plerisque *emollientibus*, pro reſolvendi & roborandi ſcopo, retinent ſale volat. oleoſo pollentia, iisque roſmarinum, artemiſiam, origanum, ſabinam, flor. hyperic. acac. ſem. cumin. baccasq; juniperi addunt, aut, ad imitationem veterum, etiam lixivio calcis vivæ, ſarmentor. vitis cum urina, decoctoque ranarum & lumbricorum utuntur: poſtquam membrum ☙ lumbricor. ✱ matricali, eſſ. rosmarini, camphor. caſtor. aſæ foet. cum oleis ℞tis ſabinæ, ſalviæ, ſuccini, ſpicæ &c. miſtis, lavarunt. Purmannus fotui, chir. curioſ. p. 619 deſcripto, & potiſſimum ex ſalinis atque terreis conſtanti, magnas vires tribuit;

buit; non attendens, per lixivium, in quo alumen, ♀, æs viride, ⊕ Rom. & * coquit, prorsus immutari, novamque texturam concipere.

§ 48. Diximus emollientia a nonnullis præteriri, quod formidine putrefactionis, a Galeno prohibitæ, & a Sennerto moniti faciunt. Hic enim l. c. p. 154, tentare quidem svadet, ut fungosi tumores emolliantur & digerantur, & multa ex Platerianis, modo recitatis, repetit, acrioribusque additis auget, sed simul tamen cavere jubet, ne *suppurentur*, & incurabilia ulcera, partes circumjacentes corrumpentia, excitentur. Unde nec balnea laconica, solum membrum affectum comprehendentia, semper tuta sunt, si vapor ex aceto, vel aqua, cum herbis coctis, candentibusque silicibus superfusis, non autem ex spirituosis potius elicitur: quia a talibus æque ac epithematibus aquosis, sæpe substantia tumentis partis laxior, & ulteriori sero recipiendo aptior evadit. Quod minime a thermis timendum est, modo, verbis Plateri, l. c. ♎ *ea, naturales, & actu calida* fuerint, istisque æger, per mensem & ultra continuatis, diu insederit. Hisce num facile per artem parabiles, a Dolæo suasæ, paria facturæ sint, ex superioribus colligere datur.

§ 49. Præter hæc litus pingues & emplastra ex Pharmacopolio petuntur. Priorum exemplum dabunt ℞ limac. lumbric. terr. ā ʒij, lil. alb. chamom. ā ʒiß, verbasc. tabac. sambuc. ā ʒj, pingv. castor. ℈ß, a Dolæo, l. c. p. 1244, & a Verduc, l. c. p. 200, adversus ganglia mista, quibus pro re nata ad fungos, per moram duriores & minus

nus tractabiles factos, olea petræ, laterum, & destillata ♀, therebinth. succin. &c. addi possunt.

§ 50. Emplastrorum fungis, gangliis, nattis, similibus tumoribus chronicis oppositorum, omnes Practicorum commentarii pleni sunt, ex quibus unum saltem alterumque nominabimus. Primum locum illi Vigonis de ranis cum ☿ tribuimus, a quo solo & oleo hyperici D. Præses non pauca genua detumuisse novit. Huic jungimus duo Riveriana, unum ex empl. diapalm. ℥j, ☿ cum ♃ exsinct. ⊕ Rom. ā ʒij, & modica terebinthina; alterum autem ex gum. ammon. sagap. per ✠ solut. ā ℥ij, empl. diachyl. c. gum. ℥iß, ♄, æris ust. ā ℥j, auripigm. ærugin. ā ʒij, conflatum, quibus Autor genu, diu contumaciter tumens, suaque, per varia remedia, adepta mollitie Chirurgos ad incisionem invitans, a nocitura apertione liberavit, & pristinæ sanitati restituit. Solenander miscet empl. oxycroc. ℥j, g. amm. bdell. ʒij, irid. flor. ℈j, lumbric. ♈ str. ʒß, cum oleo tereb. & cera. Barbette, & ex eo Valentini, Med. pr. infall. sagapen. ammon. ā ℥ß, euphorb. rad. pyrethr. ā ʒß, ♃ ʒiij, ♣ succin. ʒj, quibus facile Ceratum diasinapios Scultet., & alia, multitudine & efficacia ingredientium cum allatis contendentia, subjungeremus, nisi hæc sufficere crederemus.

§ 51. Qui repetita frictione cum manu, saliva humectata, apud Anton. Chalmeteum, in Enchir. chir. vel *oleo amygdalor.* imbuta, apud Forest. l. 3. obs. 11, ganglia resoluta legerunt, eademque ratione fungos quoque recentes abigere posse putant, certiori forsan effectu id præstituri sunt, quam si forti pressione eos tollere conarentur,

rentur, qua Muys ganglium in dorſo manus hærens, avellanamque æquans, tertio ab ortu menſe, pollice ſuo extemplo diſſolviſſe ſcribit. Sine dubio Philarium, antiquiſſimum Medicum, imitatus: qui tamen lib. de Gangl. prius tumorem ammoniaco & plumbo, per dies aliquot impoſito, emollire conſvevit, quam validiſſimam compreſſionem auſpicaretur. Idque provido conſilio, quod, una cum aliis encheiriſibus, a Dolæo, Encyclop. chir. pag. 1244, adductis, non contemnendum eſt.

§ 52. Neque etiam ganglii percuſſionem, manu vel ligno inſtituendam, ad fungum, ceu tumorem utplurimum mollem & indefinitum, inque ſinuosis genu atque cubiti articulis hærentem, applicari poſſe, ipſe modus procedendi docet, quem Meckren, obſ. med. chir. c. 63, pag. 296, ita deſcribit: *Modus curandi nobis uſualis, qui linimenta, cataplaſmata, emplaſtra nulla exigit, hic eſt: Chirurgus læva manu firmiter detineat manum planam ægrotantis, ganglio affectam, tabulæ immobili impoſitam, dextra vero, in formam pugni efformata,* (Verduc l. c. & Mangettus in Bibl. med. chir. ferulam ligneam, plumbo munitam, adhibent) *bis terve percutiat, usque dum id reſolutum notabit; quod facillimum factu obſervabit, ubi recens ad manus carpum, qui locus primarius, aut aliam partem, quod rarius contingere ſolet, productum hoc tuberculum.*

§ 53. Qui arctiori, per faſcias & alia organa, conſtrictione, cum Agricola, l. c. & Blaſio, Prax. p. 342 tales tumores coërcere geſtiunt, rectiſſime a Langio notantur: cum citius inflammationem & deſtructionem articuli, quam conſumtionem fungi, ipſi immerſi, aſſecuturi

turi ſint. Multo minus illi imitandi ſunt, qui, poſtquam medicamenta reſolventia aliquamdiu, ſine manifeſto effectu, adhibuerunt, ex mollitie tumoris, materiam, excretioni maturam, intus latitare credentes, vel duriorem ſubſtantiam, atheromati aut ſteatomati ſimilem, exſciſſuri, ad ſcalpellum properant. Prioribus enim recte cum Riverio reluctandum eſt; niſi tales adfuerint circumſtantiæ, a ſolis forſan Würtzii atque Purmanni digitis definiendæ, quæ verum *fungum aquoſum*, per vulnus inflictum, ſuum laticem eructaturum, præſto eſſe indicaverint: cui tunc peculiares deligationes, a modo nominatis artificibus deſcriptæ, decentesque encheireſes, a nobis, tempore & charta deſtitutis, hac vice minime repetendæ, applicari debent.

§ 54. Poſterioribus autem, qui ſolidam ſubſtantiam fungi exſcindere conantur, Platerus, Pauli Æginetæ auctoritate munitus, l. c. p. 354, ita in aurem inſuſurrat: *Per aperturam, factam ſectione aliove modo, ganglion* (i. e. fungum articulorum) *auferre velle, periculoſum: cum citra tendinum atque ligamentorum, vel etiam nervorum læſionem, ſi exacte eximi debeat, vix fieri poſſit, quapropter ea omittenda eſt.* Cui ſententiæ tantum non omnes cordatiores hactenus ſubſcripſerunt; ex quibus Verduc Chirurgos adhortatur, ut ad exempla mortiferarum apertionum paſſim in Ephemeridibus German. annotatarum, animum advertant.

§ 55. Num laudatiſſimum cauterium ſalinum Ioh. Mich. Sutorii, quo enormes tumores, in variis corporis locis natos, feliciter extirpatos eſſe, præter Eph. Germ. Dec. 2, ann. 8, obſ. 227 & 228, plurima alia ſpecimina teſtantur, articulos etiam ab hoſpite tali moleſto expurgare queat, in ſuſpenſo relinquimus: donec certiores facti erimus, iſtud

istud hic efficacius, quam in cancrosis affectibus, se se exhibuisse.

§ 56. Quid fungis, ad exulcerationem deductis, inspergendum sit, docet Dolæus, l. c. p. 1176. Nec admonitio Purmanni negligenda est, tendinibus & ligamentis, in poplite occurrentibus, per unctuosa nervina prospiciendum esse, ne obrigescant.

§ 57. Tandem præscribitur ab iis qui causam antecedentem a pituitoso humido derivant, ægrotis aër purus & subtilis, vetaturque crassior, qualis in vallibus & prope paludes esse solet. Cibi sunto euchymi, & pauci, vix famem sedantes, potus autem vinum generosum, secundum Forestum, qui, dum ex Arnoldo aquam aluminosam sulphureamque, abscessus internos externosque discutientem, commendat, a nobis nondum intelligitur. Motus corporis provide instituatur; ne nimia quiete pars torpescat, & major stagnandi occasio materiæ peccanti suppeditetur, nec etiam laborioso conatu affectum membrum agitando, tonus ejus debilitetur. Similiter circa reliquas res non naturales medietas observanda est.

D.S.L. H.E.G.I.S.A.